Edit. F pag. 713

MOGVNTIACARVM RERVM

LIBER V.

De iis,

Qui S. BONIFACIVM in Archiepiſcopali Moguntini gregis paſtione ſequuti, Electoriſque Imperialis dignitatem conſequuti ſunt, Archiepiſcopis.

MAGNA per ſe Archiepiſcopalis dignitas: magna per ſe Septemuiralis. Quid ambæ inſimul? Quid in vno eodemque iunctæ & conſociatæ? Monſtrauit ſuperior quartus liber Moguntinos Antiſtites, quos prior illa magnopere condecoraret dignitas: Quintus vero hic, qui idem operis huius vltimus, eos in omnium contutu ponet, quos exornat vtraque; felices quotquot & exornarunt vtramque ipſi. Gemina enim ſparta, geminuſque, qua Domini gregem pie ac vigilanter paſcendo, qua ſacrum Imperium ſtrenue ac ſapienter iuuando, labor geminam iis apud Deum & homines coronam feret. Sunt enim e ſapientis ac generoſæ mulieris illius * domeſticis, & quidem præcipui; qui contra hiemis frigora, niueſque omnes *veſtiti ſunt duplicibus.*

* *Prou.* 31, 10 & 21. *D. Greg. 1 Reg. 1.*

VVILLIGISVS.

714

I

VNa omnium de Willigiſo ſcriptorum vox eſt, fuiſſe Saxonem, e villa Stromingen de *Schöneburg*, humili ortum genere, parente hamaxurgo, qui, victus quotidiani cauſſa, rotas & plauſtra conficere ſoleret. In *Ditmari* ſane hiſtoria legimus, cum Willigiſum vtero geſtaret mater, vidiſſe ipſam in ſomnio ſolem ſuo e ſinu fulgere, terramque totam flammantibus replere radiis. *Quia*, inquit ille, *multorum corda eſſet illuminaturus, eo quod ad ſalutem patriæ a Deo eſſet datus.*

Variè ſcribitur. 1) Variis *VVilligiſus* nominis flexionibus, terminationibusque apud veteres ſcribitur; quas qui noſſe cupit, adeat *Schlegelium* in epiſtola de codice Willigiſano p. 9 & ſeq. In tabulis Othonis II Alſteti an. DCCCCLXXIII datis apud *Fellerum* in monument. variis ineditis n. IV p. 16 *Quilliſus*; in ſupplementis ad *Konigshovii* Chron. Alſatic. e codice mſcr. Conradi a Dunzenheim p. 424 ad cap. II § CLXIII p. 111 eſt *VVilichum. Zu den ziten vvas Biſchoff* Wilichum *zu Menz, faſt ein ſelig Man.*

Schöninga natus eſt. 2) Non *Stromingæ*, ſed *Schöningæ* oriundum fuiſſe, plerique dicunt. Schöninga autem, vulgo *Schöningen*, Brunſuicenſis ditionis eſt oppidum, vno milliari Helmeſtadio diſtans; quod *Botho* chron. picturat. ad annum DCCCCXXVII p. 305 Henrici Aucupis opus eſſe nugatur.

humili genere. 3) Humilis conditionis parentibus, patre quidem hamaxurgo, natum, vna omnium vox eſt ac ſententia, quam auctor vel ipſe ſequitur. Vnde videas, lapſum memoria Illuſtrem *Leibnitium*, dum alicubi ſcripſit *; *Serarius in libro de rebus Moguntiacis oppugnauit ſententiam eorum, qui VVillegiſum Archiepiſcopum pro filio carpentarii habuerunt.* Tantum enim abeſt, illorum opinionem vt impugnarit Serarius, vt potius in eandem ipſe concedat. Ceterum *Ditmari*, quæ auctor adduxit, verba legas libro eius III, p. m. 342.

* referente *Fellero* in mantiſſa miſcellan. § XVIII p 418.

emerſit ad dignitates. II Prima igitur ætate in bonis litterarum ac morum ſtudiis egregie poſita, quia ingenio, doctrina & virtute inſigni pollebat, eo peruenit, vt Imperatoris Ottonis II Archicapellanus fieret, tandemque anno DCCCCLXXVII Archiepiſcopus Moguntinus: in eaque Archiepiſcopali dignitate annos egiſſe XXXIV arbitrantur *Trithemius*, *Lambertus*, & *Marianus*; XXXV *MS. minor*, qui addit

addit menſes ſex, dies ſex, quod conuenit cum eo, quod ait *Bruſchius* fere XXXVI annis præfuiſſe. Et omnes quidem (præter mendoſum MS. maiorem, qui XXX tantum annis ſediſſe ait, & anno MVI mortuum) eum anno MXI tradunt luce hac frui deſiiſſe: ſed eius initium repetunt quidam ab anno DCCCC-LXXVI, vt *Bruſchius*, Geſſit autem admodum præclara multa. Edit. I pag.

1) Enimuero Canonicus primum fuit Hildesheimenſis, ſi quidem *indiculo Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, eccleſiæ Hildesheimenſis olim Canonicorum*, quem primus in lucem *Leibnitius* protulit, ſtandum; iis enim ibi adnumeratur p. 769. Poſt regius factus eſt Sacellanus: dein circa an. DCCCCLXXII Cancellarius, ac tandem Archipræſul Moguntinus.

quando factus ſit Archiepiſcopus

2) Quo vero Pontificatum Moguntinenſem anno adierit, controuerſum eſt. *Ditmarus* lib. III p. 342, *Chronographus Saxo* p. 189, auctor *annal. Hildesheimenſium* p. 719, *Trithemius* chron. Hirſaug. parte I p. 118 anno DCCCCLXXV Archiepiſcopum factum volunt. Auctor *Serarius* vero anno demum DCCCCLXXVII, quo Rupertum etiam obiiſſe ſtatuit, vt ex antecedentibus patet. Nec aliter *Mallinkrot* de Archicancellariis Imperii p. m. 268. Quod vti aperte erroneum eſt, ita neſcio, an priorum quoque ſententia ſtare poſſit, ſi quidem tabulis, quas in codice diplomatico attuli, haud deneganda fides. Alteræ ſunt *Othonis II*, datæ *VIII Kalend. Februar. anno DCCCCLXXIV, indictione II, anno regni XIII, imperii vero VII, Trotmeny* ſiue Tremoniæ, in quibus ſedi Moguntinæ omnia a Regibus deceſſoribus ac Imperatoribus ei conceſſa priuilegia confirmat, idque *ob interuentum*, vt loquitur, *dilectiſſimæ coniugis noſtræ Theophane, nec non fideliſſimi noſtri* » Willegiſi, ſanctæ Moguntinenſis eccleſiæ Archiepiſcopi. » *Folckmarus Cancellarius vice* Willegiſi Archicapellani *notauit*. Alteræ ſunt *Benedicti VII*, P. M. ſcriptæ per manum *Stephani Notarii ſanctæ ſedis, in menſe Martio, indictione tertia* (quam in annum DCCCC-LXXV incidere notum) quibuscum ei pallium transmittit, & προεδρίας concedit priuilegium.

3) Vtcunque vero ſe res habet; id certum, eum iam anno DCCCCLXXV regimen eccleſiæ Moguntinenſis tenuiſſe. Teſtimonio nobis ſunt tabulæ Othonis II, IV Kalend. Iul. datæ, quas *Knautius* eruit, ac in antiquitat. pagorum & Comitatuum Principatus Anhaltini § LVIII p. 33 dedit; aliæ itidem in gratiam Collegiatæ SS. Petri & Alexandri, quæ Aſchaffenburgi eſt, eodem hoc anno IV Kal. Sept. confectæ. Vtrasque enim *Folcmarus Cancellarius vice* Willegiſi Archicapellani *notauit*.

4) Mitram vero Moguntinenſem conſecutus fuit, multis, quod humili genere natus eſſet, ſubiratis. *Ditmarus Merſeburgenſis* l. d.

5) Dein anno (DCCCCLXXV) dicto a Pontifice Benedicto VII non ſolum honoris Archiepiſcopalis inſigne, pallium, obtinuit, verum etiam primum a Pontifice Maximo locum in tota Germania atque Gallia, in omnibus eccleſiaſticis negotiis, h. e. in Rege conſecrando, & ſynodo habenda. Fide ſcribo Diplomatis, de quo ſupra. *a Benedicto pallium obtinuit.*

6) Eodem negotiis publicis tempus accommodans, Othoni præſto fuit Magdeburgi, &, alias curas inter, de transferendo Tangmaresfeldenſi in caſtellum Nienburgenſe cœnobio, quod tum agebatur, negotium conſenſu ſuo Cæſaris ex ſententia decidit. Teſtatur id ipſum Otho in tabulis, quarum ſupra mentionem feci, apud *Knautium* l. d. *Magdeburgi fuit cum Cæſare.*

7) Inde rebus eccleſiæ ſuæ tuendis ampli-ficandisque ſe omni dedit ſtudio. Anno certe ſecuto (DCCCCLXXVI) D. Diſibodi inſtaurauit monaſterium, vt *Marianus Scotus* ad h. a. p. m. 448, & *Trithemius* in Hirſaugienſi prioris editionis ad an. MCXXXVIII (quos auctor § ſequenti adduxit) habent. Signanter *Adelbertus I* Archiepiſcopus in tabulis, de quibus alias; *VVillegiſus --- volens deuotionis ſuæ qualescunque primitias Deo offerri, præfati Confeſſoris Montem, quoniam tempus miſerendi eius inſtabat, conſcendit, & cum locum penitus deſolatum, & omnem diuinum cultum inibi in neglectum veniſſe conſpexiſſet, pietatis viſceribus motus, eccleſiam ibi fundari & extrui præcepit.* *Diſibodenbergenſe clauſtrum inſtauraauit.*

AlbertumEpiſc. Pragenſem ſacrauit.

III Anno DCCCCLXXVIII Adelbertum illum ſanctimonia, martyrioque præſtantiſſimum in Pragenſem Epiſcopum ſacrauit, vti narrat eius vitæ auctor apud *Surium* tomo II in Aprili, & manuſcript. minor, qui de eo idem anno DCCCCXCIV. *Reſtaurauit* (inquit *Marianus Scotus*) *diuinum officium, in monte Sancti Diſibodi cum Canonicis, quod Hatto præceſſor eius, vel huius Ruperti Archiepiſcopi, deſtruxit, expulſis inde monachis.* Et videtur eſſe, qui *in honorem duodecim Apoſtolorum, ibidem duodecim clericos inſtituit*, vt in S. Diſibodo *Hildegardis* ait. *Trithemius* vero in Hirſaug. *Anno*, ait, *MCXXXVIII in die Paraſceues poſt matutinas apertum eſt ſepulchrum S. Diſibodi, Epiſcopi quondam in Hibernia, qui pro CHRISTO peregrinus in mundo factus, manſionem in Comitatu Spanheimenſi, ordinante Domino, elegit, ibique monaſterium noſtri ordinis non multo poſt obitum S. Patris noſtri Benedicti in vertice montis fundauit, in quo multitudinem monachorum congregans, ibidem poſt completum vitæ curſum in Domino quieſcens ſepultus eſt. Hoc vero monaſterium nimia antiquitate collapſum per Willegiſum Archiepiſcopum Moguntinum de nouo conſtructum eſt circa annum Domini DCCCCLXXVI.* Sed illud *circa* debet accipi 715

Edit. I pag. aecipi post DCCCCLXXVI, cum anno DCCCCLXXVII factus sit Willegisus Archiepiscopus: & *circa* contineat quod *prope* est, *ante* vel *post*.

IV Hersfeldensi monasterio præfecit S. Gothardum, prout in huius vita cap. VIII ita narratur: *Perductus in Hersfeldense monasterium Gothardus a Vuilligiso Archiepiscopo Moguntino, & ab eodem accurate instructus, vt quemadmodum bene nouerat, probe recteque se gereret, ipso primo aduentu suo Deo gratias agens, &, vt ab illo in præteritis, præsentibus, & futuris dirigeretur, sollicite orans, principio quidem, iuxta canonis monastici præcepta, duriora & aspera monachis proposuit, sed tamen rogatus ab Archiepiscopo copiam eis fecit ea cum ipso consectandi, aut quo illis visum esset, discedendi.* *Godehardi Hersfeldam deduxit.*

Interrumpit hic auctor annorum seriem. Godehardum enim Willigisus anno demum MV in monasterium Hersfeldense deduxit, vt infra ad § XIV n. 7 patebit.

Moguntiae eadem metropolitanam statuit. 1) Ceterum, vt ordinatim procedam, ipse anno DCCCCLXXVIII Moguntiæ ædi maiori statuendæ admouit manum. *His temporibus*, ait *Trithemius* l. d. ad a. d. p. 120, Willegisus *reuerendissimus Moguntinensium Archiepiscopus maiorem ecclesiam de domo S. Martini nouam a fundamentis pulchro tabulato lapideo pretiosissime exstruere cœpit.* Conf. §. VI, quo auctor hac de re, ratione temporis haud habita, loquitur.

Collegiata Aschaffenburgensi bona impetrauit. 2) Anno DCCCCLXXX Collegiatæ *SS. Petri & Alexandri*, quam Otho, Sueuiæ ac Boiariæ Dux, statuerat, villam *Aschaffa* vna cum decimis impetrauit; vt plenius e tabulis Othonis II, quas alias exhibebo, cognoscere licebit.

Othonem Ducem sepeliuit. 3) Qua vero erga domum regnatricem fide semper fuit ac obseruantia, Othonem, Ludolfi filium, Othonis I nepotem, Boicæ Ducem, anno DCCCCLXXXII in reditu ex Italia fatis functum, Aschaffenburgi honorificentissimo apparatu terræ mandauit. Præter *Trithemium*, qui in chronico Hirsaug. ad ann. DCCCCLXXXI p. 123 in litteras id misit, posteris, epitaphio ei posito, indicauit *Henricus Regerman:* quod, quum paucis notum sit, huc adferre non inconsultum duxi. Sic autem habet:

*Othoni, Othonis II Cæs. Aug. ex fratre Ludolfo Magno nepoti, Sueuorum, Bauarorum, Saxonumque Duci inclito, sacræ huius ædis conditori ac dotatori largissimo, monumentum hoc fieri pia curauit posteritas. Qui, dum patruum Imperatorem in Italiam contra Græcos, Saraceno Mauroque militibus instructos, Calabriam atque Apuliam infestantes, comitatus, profligatisque inde hostibus in Germaniam rediret, in alpibus vita decessit, anno Christi Opt. Max. IXCLXXXII, prid. Kalend. Nouembris, cuius corpus hac delatum VViligisus Archiep. Mog. Idamatre eius charissima, Hermanni Sueuorum Ducis filia, ac cum * Auctilda sorore, sacratarum virginum primaria, præsentibus, celeberrime sepeliuit. Luchardis vero coniux ipsius atque Hildegardis filia Abbatissa pietate insignes, huius in opposito postea attumulatæ sunt sarcophago. Quibus beatorum gandia, quisquis ades, oro, preceris. Henricus Regerman, Custos huius Canonicusque templi, patrono bene merenti posuit anno a Christo nato MDXXV.*

In memoria aterna erit iustus. *A ditione mala non timebit.*

Cum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namque domo clauditur omnis homo.

l. ac Auctil-da

* *I. Mathilda* nata an. DCCCCXLIX, *Continuator Rheginonis.* ad h. a. mortua an. MXI, *Chron. Quedlinburg.* p. 288.

Retharium consecrauit. 4) Sequenti Spiræ Retharium, Episcopum Paderbornensem, consecrauit: quod a Iacobo Wimphelingo in fastis Episcoporum Argentinensium annotatum *Schatenus* lib. IV annal. Paderbornens. ad an. DCCCCLXXXIII p. 327 repetiit.

nouum a Cæsare obtinuit beneficium. 5) Tum vero Veronæ Cæsari adfuit, ab eoque non solum iurium omnium, quæ sedes Moguntina tum Bingæ habebat, confirmationem obtinuit, verum etiam quicquid Imperator ibidem ad id vsque temporis habuerat intra iuxta atque extra oppidum. Docent id litteræ, quas in codice habes diplomatico.

Othonem III inauguratum Aquisgranum deduxit. 6) Dein Othonem III, Othonis II filium, patris iussu anno hoc vertente Aquisgranum deduxit, & Ioanni Archiepiscopo Rauennati, qui ab Imperatore hanc in rem ex Italia missus, festis cum cæremoniis ipso natalis Christi die inungebat, adstitit iuxta atque operam dedit. vid. *Schatenus* l. d. qui quidem hac ratione auctorem *vitæ Meinwverci*, qui Rauennatem, *VVolfherum*, vitæ S. Godehardi scriptorem, qui Willigisum, & *Ditmarum*, qui vtrumque munia augustalia subiisse scribit, conciliat; vt nimirum tres Archiepiscopos conuenisse existimet, primas vero partes Rauennatem censeat peregisse.

eumque fouit. 7) Post autem, quem elegerat, Regemque salutarat, aduersus Henrici Boii machinationes tam constanti prosecutus fide est, vt vnus omnium maxime æmuli manibus extorserit illum, imperioque seruarit. Id quod *Ditmarus* lib. III p. 348 & *VVolfherus* in vita Godehardi cap. I p. 485 referunt, luculenterque testantur.

Ottonem III educasse dicitur. V Anno DCCCCLXXXIII cum e viuis excessisset Imperator Otto II, filiumque paruulum Ottonem III reliquisset, aliique Henricum, Bauariæ Ducem, Ottonis I ex Henrico fratre nepotem, alii puerum hunc Ottonem III Regem vellent, fuit inter Principes discordia nonnulla. Quæ tamen in Ottonem post-

ſtea concors extitit; ſed ita, vt Willigiſus interea puerum educaret, imperiumque tantiſper, dum ætate iudicioque eſſet ille corroboratior, gubernaret. Præſtitit vtrumque feliciter Archiepiſcopus; ſed ita, vt regni anni ſtatim ab anno DCCCCLXXXIV Ottoni puero tribuantur, prout in *Mariano* cernere eſt. Edit. I pag.

1) *Dodechini* auctor hic premit veſtigia. Ille enim ad an. MCLX p. 475 ait; *Temporibus Othonis Imperatoris huius nominis III, præfuit eccleſiæ Moguntinæ VVillegiſus, Archiepiſcopus memoria dignus: qui ipſum Othonem adhuc valde puerum & Imperatorem educauit, & interim per XVI annos Romanorum rexit Imperium.* In eandem fere ſententiam *Botho* chron. picturat. ad an DCCCCLXXXIV p. 314; *De Biſchop to Collen vnde to Mente vveren ſine Vorſtenden.* *Ditmarus* contra, aliique ſuppares matrem auiamque pueri auguſti pariter atque Imperii curam quam maxime tum geſſiſſe tradunt.

2) Ceterum, ſub id quoque tempus Volcoldum, Epiſcopum Miſnenſem, quem vt filium ante educarat, a Boiemis ſede pulſum, benigne excepit, ac pluſculos menſes Erfurti quam liberaliſſime habuit. *Ditmarus* l. d. p. 348. *Volcoldum exulem benigne excepit.*

Moguntiæ eadem D. Stephani *ſtauit*, D. Victoris *ampliauit.*

VI Aedificauit Maguntiæ *metropolitanam eccleſiam*, itemque illam, quæ *S. Stephani* dicitur: & eam, quæ *S. Victoris* eſt, ampliorem ornatioremque reddidit. Nam de illis ita anno DCCCCLXXVI *Marianus: Inprimis cæpit ædificare monaſterium S. Martini, qui conſtruxit etiam S. Stephani. ibique ſepultus eſt.* De hac vero & illis ſimul *Trithemius* in Hirſaugienſi chronico: *Willegiſus vir bonus & DEI cultor inſignis conſtruxit eccleſiam S. Martini Epiſcopi, quæ maior dicitur, & S. Stephani protomartyris. in qua & ſepultus eſt. Monaſterium quoque S. Victoris extra Moguntiam ampliauit: & multis eccleſiis, monaſteriisque multa bona fecit.* Cur vero eum non conſtruxiſſe, ſed *ampliaſſe* illam S. Victoris eccleſiam dicat *Trithemius*, patet ex dictis in vita S. Bonifacii ex Willibaldo: & ex iis, quæ MS. minor dicit; olim ſcilicet eo loco fuiſſe *monachos*, idipſumque monſtrari ex ornamentis eccleſiæ illius vetuſtioribus, in quibus cinerei monachi phrygionico intertexti opere; quæ prædiis ab Ottone dotata. 716

De *metropolitana*, quam excitauit, iam ſupra nonnihil dixi ad § IV n. I. De *S. Stephani* vero, & *D. Victoris* æde alias, & quidem peculiari de vtraque ſchediaſmate.

De Burchardo, *quem Collegio* D. Victoris *præpoſuit.*

VII Eiuſdem vero eccleſiæ S. Victoris priorem tenuitatem, poſterioremque amplificationem indicat is, qui B. Burchardi Wormatienſis vitam deſcripſit, quique cum beato illo vixit. Sed quia multa ſimul alia, quæ Willigiſi, aut vt ipſe appellat, *Willegoſi* noſtri mores ac ſapientiam indicant, adiungit, illius transſcribam verba: *Erat igitur*, ait, *Burchardus in prouincia Haſſia genitus, parentibus ſecundum ſæculi dignitatem non infimis. Hic nempe puer commendatione parentum apud Confluentiam canonice primum nutritus, deinde per loca diuerſa, cauſſa ſtudii, directus eſt, poſtea vero Willigiſo Moguntinenſis ſedis venerabili Archiepiſcopo ſe adiunxit, illiusque ſalutari ſapientia repletus, &, ſecundum ſuos nobiles mores, imbutus. Quanquam ætas denegaret, vitioſa facta fugiendo vitabat, & ad meliora paullatim animum torquebat. Nam poſt primæuum iuuentutis florem, omni bonitate refulſit præclarus: in iuſto ſtabilis, in commiſſo fidelis, in conſilio prouidus, in proſperis non elatus, in aduerſis non turbatus, ſublimioribus obediens, egenis compatiens, miſeris affabilis, miſericors* 717. *ſubditis, multum largus, moribus honeſtiſſimus, atque in omni opere ſtrenuus. Patientiam in eo laudare neceſſe non eſt: cum ſibi ſeruientibus, quanquam ſæpe contra illum delinquentibus, nec vllum contradicendo aliquando obiiceret verbulum. Iſtis quippe, hiſque ſimilibus pollens virtutibus, per ſingulas graduum ſcanſiones, ad Diaconatus ordinem ab Archiepiſcopo ſublatus eſt, & loco cuidam pauperrimo præpoſitus eſt. Hunc ergo locum, Archiepiſcopo adiuuante, ſummo niſu ſtatim adauxit, totiſque viribus decorauit. Nam egregium monaſterium ſimul & clauſtrum Canonicorum in honore ſancti Victoris ibidem conſtruxit, poſitiſque, ad electionem fratrum, clauſtri primatibus, curſum certis temporibus ac ſignis decantari, ſeruarique præcepit. Et ita rebus eccleſiaſticis ſecundum regulam Canonicam rite ordinatis, prædia & mancipia multa, quæ vel traditione parentum, vel donatiuo regio acquiſierat, huic eccleſiæ in proprium contulerat, ſicque piis viri huius laboribus laudes & gratiarum actiones officio quotidiano in loco prædicto DEO noſtro perſoluuntur. Ergo religioſiſſimus Willigoſus ſanctam hominis DEI intelligens meditationem, ſibi familiariſſimum elegit, & ſuæ cameræ magiſtrum ac ciuitatis primatem conſtituit. In quo officio non*

ſolum

Edit. I pag. *ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum præmia lucratus eſt ſempiterna: quia neque muneribus neque donis, nec alicuius perſonæ reſpectione a rectitudinis calle reflecti potuit, ſicut quidam, quos modo plerumque, aut amicitia, aut inuidia a iudicio recto facile labi conſpicimus. Ex his, aliisque plurimis pietatis ſtudiis creſcente fama beati viri, ad aures Imperatoris Ottonis III notitia eius peruenit: qui, vt erat piiſſimus, valde illum dilexit, & ſæpe ad ſe venientem clementer ſuſcepit, ac diuerſis donis onuſtum honorifice remiſit, gratiam ſibi promittens eſſe futuram.* 718 Et poſtea: *Imperator de Italia regreſſus Saxoniam ingreditur, & in locum, qui dicitur Kirchberg, peruenit. Illuc Epiſcopus Moguntinus, & cum eo venerandus Burchardus ad Imperatorem venit. Imperator Archiepiſcopum honorifice ſuſcipiens cauſſam Wormatienſis Epiſcopatus illi expoſuit, duorumque virorum mirabiles interitus omnino narrauit. Et poſt multas confabulationes Imperator per feneſtram proſpiciens, Burchardum vidit, quem ſtatim celeriter ad ſe vocauit. Et arripiens manum, ſeorſum duxit, quid frater eius pro eo rogarit, quidve ſibi demandarit, diligenter expoſuit. Ac deinde epiſtolam, quam in ſacculo reſeruauit, illi aperuit. ſicque Wormatienſe ſacerdotium illi offerre cœpit. Cumque ille multum reniteretur, ſeque indignum eſſe pontificale officium ſuſcipere contenderet, Imperator vehementer inſtans, quaſi vi, ad ſuſcipiendum eum compulerat. Tandem conſpiciens, quia potenti reſiſtere non poſſet, vt cum ſeniore ſuo, Archiepiſcopo, cauſſam deliberaret, expoſcit. Quo impetrato & ab Archiepiſcopo accepto conſilio, quia Imperator iuſſiſſet, ſe paſſurum promiſit. Hoc cum diceret, omnium qui aderant lachrymis obortis, illius digniſſimis meritis committitur virga paſtoralis. Poſt aliquos autem dies licentia ab Imperatore accepta, cum Archiepiſcopo in locum Heilegenſtat peruenit, ibique ſacerdotalis officii infulam accepit. Sequenti autem die pontificialis benedictionis vnctione venerabiliter conſecratus eſt. Deinde poſt multas ſalutationes, diuerſasque amplexiones ab Archiepiſcopo honorifice dimiſſus, ſibi commiſſum Epiſcopatum viſitauit, Wormatiamque venit.* Hactenus auctor ille. Sed notat citatus MS. minor anno Domini DCCCXCVII, Indict. I multis in Thuringia prædiis eandem fuiſſe dotatam S. Victoris eccleſiam.

VIII Anno DCCCCLXXXVI translatas a Theophana Auguſta S. Albani Angli martyris reliquias Coloniam refert MS. ſed cum Moguntiæ hærerent, per-
719 uiciſſe precibus Willegiſum, ne domeſtici martyris Albani nomen vel cum illo confunderetur vel obſcuraretur, vt aduena ille vocaretur *Albinus*. Quod etiam, vt ſupra * dixi, a Colonienſibus S. Pantaleonis cœnobitis in libellum vnum relatum eſt. * l. 2 c. 28.

Idem dicit *Trithemius* in chronico Hirſaugienſi ad annum DCCCCLXXXIX, quo Theophaniæ Imperatricis memorat ex haç vita diſceſſum, p. 133.

IX Anno DCCCCLXXXVII *dedicauit* (inquit *Marianus* *) *eccleſiam in* Turnilan, *Vigero Comite rogante. Qui Vigerus mox eandem eccleſiam, quæ etiam* Dorlon *nominatur, cum omnibus, quæ in eadem marchia habuit, poſt obitum ſuum ſancto Martino & Epiſcopo Moguntino contradidit.* *Eadem Dorlonēſem dedicauit.*

* p. m. 449. Locum vero hunc *Turnilan* ſiue *Dorlan Schlegelius* vult eſſe *Dornburgum* ad Salam amnem, in Thuringis, infra Ienam oppidulum, l. d. p. 20; motus, vt apparet, verbis *Ditmari* lib. V p. 373; *Deinde ad* Dornburg *veniens VVilligiſum Archipræſulem cum ceteris familiaribus ad Giſilerum miſit Archiepiſcopum.* Atenim fallitur, ſi quid iudicare poſſum. *Dornburgum* enim, de quo ibi, non eſt *Dornburgum* ad Salam, ſed *Dorneburgum* ad Albim, palatium olim regium, ac Othonis I opus, in agro, qui ſub Anhaltinorum Principum hodie dominio eſt, extructum, cuius nonnulla etiamnum viſuntur rudera. Vid. *Leuckfeldius* antiquit. Halberſtad. p. 247, *Becmanus* hiſtor. Anhalt. parte III lib. II c. VI § I p. 343, & § VII p. 346. Rectius *Dorlam* vulgo *maiorem* appellatam intelligit *Gudenus* hiſtor. Erfurt. lib. I § V p. 18. Sic enim ibi, ad hæc prouocans Serariana: *Hic multas ædes ſacras erexit, Collegiatam etiam eccleſiam in* maiori Dorla *liberaliter fundauit, poſt quatuor & quod excurrit ſæcula Salzam translatam.*

2) Alioquin eodem hoc anno Corbeiæ nouæ commoda quoque promouit, & quum ibidem Cæſari adeſſet, precibus ſuis cœnobio luculentum beneficium impetrauit. *Schatenus* l. d. lib. IV p. 331. *Corbeiæ nouæ commoda promouit.*

X Anno DCCCCLXXXVIII vel circiter, a Moguntinis conſulibus & ciuibus ædificata *B. Virgini* ædes, quæ *ad gradus* dicitur, quæque poſtea, vt *adi B. M. V. valuas donauit aereas*

infra dicetur, a Sigefrido & Arnoldo nonnihil immutata. Sed huic Willigisus valuas illas duas æreas, quæ in forum ferunt, donauit. Edit. I pag.

1) Sunt illæ tum altitudine, tum pondere prorsus insignes, & inter rariora medii ævi monumenta merito referenda. Willigisi opus esse, donumque, hæc, qua exornatæ sunt, loquitur inscriptio, ex altera valuarum in alteram vna serie procurrens:

WILLIGISVS ARCHIEPS EX METALLI SPECIE VALVAS EFFECERAT PRIMVS.

2) Tum vero eodem hoc anno (DCCCCLXXXVIII) *Gandersheml* fuit, Sophiam, Cæsaris sororem, sanctimonialium insignibus pro more velaturus. quippe a nullo alio nisi Archiepiscopo velari illa volebat. Quæ res in magnam cum Osdago, Hildesheimensi Episcopo, ad quem locus iste pertinebat, contentionem excessit, vt *Tangmarus* in vita Berwardi cap. XIV p. 447, *Bodo* in syntagmate Gandersheim. p. 497 & seq. e recentioribus *Reutelius* chron. Hilleshem. §XIII p. 78, & *Leuckfeldius* antiquitat. Gandershemensium cap. XXII p. 223 & seq. pluribus docent & exponunt.

duos excitauit pontes.

XI Anno DCCCCLXXXIX duos idem Pontifex pontes fecit Aschaffenburgi vnum supra Mœnum; Bingæ alterum supra Nauam, & hunc in annum etiam confert MS. minor, quod de Dorlan & Lechenburg (l. *Iechenburg*) supra dictum. Huiusmodi enim opera, interdum quando cœpta, interdum quando perfecta sunt, narrari solent.

Pontem construxit apud Aschaffburg, *bene duxit*
Ac pontem per Nahe: *miles transit, quoque verna:*
Et bene necesse prope Bing Mäusen *dedit esse*,

vt epitaphium infra § XVII habet. Vbi notes velim, vltima verba de specula siue turri in Rheno murina intelligenda esse, vt bene iam obseruauit auctor supra in *Hattone II* c. IV.

Halberstadii interfuit inauguration adis D. Stephano dicata.

2) Anno DCCCCXCI interfuit dedicationi templi Halberstadensis S. Stephano dicati, d. XVI Octobris, ab Hildiwardo Episcopo peractæ, aramque principem honori Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis sacrauit. *Ditmarus* lib. IV p. 351, auctor *chronici Halberstadens.* p. 117 & seq. *Quedlinburgensis* itidem p. 281, & e recentioribus *Leuckfeldius* antiquitat. Halberstad. ad an. DCCCCXCI p. 290 & seq. quippe quo illam celebratam, aduersus eos, qui in annum sequentem id reiiciunt, docet.

3) Anno DCCCCXCIII ineunte Cæsari & Gruonæ & Tremoniæ sua probauit obsequia. Vtrobique vero commodis aliorum promouendis nulli pepercit operæ. Illic siquidem precibus suis impetrauit, vt Otho parthenoni Quedlinburgensi curtem Walbeccensem non firmaret solum, sed alia etiam bona liberali traderet manu. Hic vero, vt idem Ermenholdo Camerario sex mansos regales in villa Holzhusen dicta concederet. Istud docet diploma Gruonæ VIII Id. Ianuar. confectum, quod *Ketnerus* in diplomat. Quedlinburg. sæc. X n. XXIV p. 31 protulit, ex quo dein *Leuckfeldius* id adiunctis ad antiquitat. Halberstad. n. XXXVIII p. 664 inseruit. Hoc vero diploma VI Kal. Febr. Tremoniæ editum, quod *Fellerus* in monumentis variis ineditis n. IV p. 17 e *Sagittarii* antiquit. Thuring. mscr. dedit. *Cæsari assuit Gruona & Tremonia.*

4) Tum vero, quod auctor § sequenti notat, Berwardum ordinauit Antistitem.

Berwardū consecrauit.

XII Anno DCCCCXCIII Episcopum Hildesiensem consecrauit S. Berwardum, vti notat in eius vita cap. IV *Tangmarus*, & auctor vitæ *S. Gothardi* cap. XVIII; qui cap. XVII *Willigisum* vocat *virum in omni Catholica pietate præclarum*, sed vna in re arguendum, quod *Gandersheimense* sibi subiectum voluerit monasterium: & in hoc ipso tamen *excusandum*, 1, quia quæ in monasterio illo degebat, Ottonis Imperatoris III soror velamen non nisi ab Archiepiscopo, qui pallio veretur, vellet accipere. 2, quod ad eius loci dedicandam ecclesiam honorificentissime inuitatus ter fuerit. 3, quod cognitæ huius postea culpæ, demisso admodum animo, veniam supplex petierit. 4, quod absque simultate vlla sinceram postea, cum eo, qui ei restiterat, amicitiam coluerit, Hildesiensi Episcopo. Sic enim citatus *Gothardinus* auctor cap. XIX; *Nouus Rex Henricus primum regni sui annum in natali Domini inchoauit: cumque coram illo Principes commemorassent Episcoporum litem, cuius iam sæpe meminimus, medullitus indoluit, atque vt illa sedaretur, visum ei fuit, vt dedicatio Gandersheimensis ecclesiæ toties impedita, pridie Epiphaniæ Domini, perageretur. Venerunt ergo eo die præstituto, & dedicationis officium prosecuti sunt:* 720 *peractisque omnibus, Rex, cum Episcopis & Primatibus, extra templi fores ad populum processit: vbi tum Willegisus Archiepiscopus palam edixit culpam suam, iurique & repetitioni loci illius renuntiauit, atque in renuntiationis eius argumentum atque testimonium, pedum Episcopale Berwardo, vti postea in Franconofurdensi concilio cernere licuit, coram clero & populo condonauit. Atque ita hac lite composita, deinceps Præsulem nostrum omni honore & dilectione prosecutus*

Gandersheimense monasterium sibi subiectū voluit.

Edit. I p. 720 *secutus est, & in nostro cœnobio fraternitate honorifice impetrata, summam animi beneuolentiam & amorem erga locum & fratres declarauit.*

XIII Anno autem DCCCCXCIV egit ac perfecit Willigisus, tanquam Metropolitanus, cum Pontifice admodum diligenter ac serio, vt Adelbertus Pragensis, qui Bohemorum suorum importuniore licentia commotus, quietæ religiosæque vitæ amore ductus, Romam perfugerat, remitteretur in diœcesin Episcopus, ad gregem Pastor. Sed is iterum aufugit: iterumque redire iussus, apud Boleslaum Polonorum Principem substitit, quoad a suis se repudiatum, omninoque non recipiendum intelligeret: tumque admodum gaudens ac lætans in Polonorum, Prutenorum, & Luiticorum sanctam ad CHRISTVM Dominum conuersionem sese totum, ad martyrium vsque, dedit. Interea sibi delegerunt Episcopum alium Pragenses, hominem indoctum, Strabum nomine. Ordinationis autem caussa, venit is ad Metropolitanum Moguntinum. *Peractisque omnibus, quæ* (verbis *MS. minoris* narro) *agenda erant, choro litaniam modulante, dum procubuit super tapetia ordinandus inter duos Suffraganeos, arripitur atroci dæmonio* *.

Strachyquatem Bohemis ordinasse dicitur.

1) * *Dubrauius* lib. VI histor. Bohem. p. m. 46 & seq. *Boregk* p. 58 & seq. paullo distinctius hæc tradunt, quos, si velis, inspicias. Res huc redit. Dum Adelbertus Romæ hæreret, Strachyquas ambit Episcopatum Pragensem. Moguntiæ inaugurandus a dæmone strangulatur. quo casu non Moguntinus solum, sed Boleslaus etiam, Strachyquatis frater, exterritus Pontificem Romanum, missis legatis, obsecrat, vt Adelbertum ad ecclesiam Pragensem remittat. Redit Pontificis compulsus auctoritate Adelbertus: sed nouis Boiemorum exagitatus iniuriis, inuidiæ cedendum ratus, in Poloniam demigrat. Idem etiam narrat auctor *vitæ secundæ S. Adalberti*, aliique. sed *Balbinus* lib. II epitomes rerum Bohemicarum cap. VI in dubium vocat, quod his longe antiquiores id plane taceant, nec etiam vero simile sit, Archiepiscopum Moguntinum consecraturum fuisse nouum Episcopum, viuo Adelberto. *Schminckius* annotat. ad Goldast. de regno Bohemiæ lib. V cap. IV n. 3 p. 733.

2) Atenim, quæ superioribus annis Othoni præstitit officia, illa nec anno DCCCCXCIV intermisit. Indicio sunt tabulæ, prid. Kalend. Octobr. datæ, quibus Cæsar sorori suæ Sophiæ quædam bona ad dies vitæ concedit. Dicit enim Otho, *interuentu* cum aliorum, tum maxime *VVilligisi* se id facere. vid. *Leuckfeldius* antiquit. Gandersheimens. c. XIV p. 111.

3) Quam curatam vero beneficiorum ecclesiarum vsilitatibus impensorum seruari voluerit memoriam, docet ἐπιγραφή, quæ Altævillæ (vulgo *Eltvil*) etiamnum in templo legitur:

1095

Hic cunctis legentibus pateat, qualiter Reginbraht & Irmingart eius coniugata, ad hanc ecclesiam (vnam) vineam & agrum ea ratione tradiderunt, cum vno saltu & duobus pratis, vt nulli domino subiaceant, sed solummodo altaris ministro alimenta perpendant, ac præsertim ipse minister cotidianam Missam in vtrorumque ac aliorum Christianorum salutem decantet, & in omnium Sanctorum die festiuo C & XX elemosynas pauperibus de prædicto prædio expendat, & LX cereos ad hanc ecclesiam afferat. Hoc saxum literis inscriptum huc est positum gratia & licentia VVilligisi Archiepiscopi. Conf. *Brouverus* annal. Treuir. lib. XVII § LXXX p. 205.

4) Hæc aliaque dum fiebant, Collegiatæ D. Stephani, quam statuerat, largos attribuit reditus. Non autem id fecisse contentus, eidem etiam an. DCCCCXCVI ab Othone III omne prædium, quod Balzo Episcopus *in marca Buochinebach* iure tenuerat hereditario, impetrauit. Tabulæ, quibus id perscriptum, editæ d. XII Februar. legique possunt in Collegiatæ huius chronico.

Collegiata D. Stephani largos reditus comparauit.

5) Aestate sequente eodem, quo semper solebat, obsequio Cæsari præsto fuit Moguntiæ. Testis loco producam tabulas II Non. Iul. an. DCCCCXCVI confectas. Dum enim iis Cæsar eidem sorori suæ prædium Eschwegense donat, precibus cum aliorum, tum Willigisi ad id ipsum se permotum fatetur. Vid. *Leuckfeldius* l. d. cap. XIV p. 112.

Moguntiæ præsto fuit, Cæsari.

6) Neque vero ipse per id temporis omnis prorsus expers mansit beneficii. Quippe VIII Id. Nouembr. ab eodem Othone III consecutus est *foreſtum* siue saltum sat latis in tractu Rheni circumscriptum finibus, vna cum iure venandi, pro se, suisque successoribus. quo velim consulas tabulas, quas dedi in codice diplomatico.

7) Sequenti, qui XCVII post nongentesimum illuxit, d. VIII Mart. Heiligenstadii Burchardum Vormatiensem ordine initiauit Episcopali; id quod auctor supra § VII ex Biographo Burchardino præcepit.

Burchardū Vormatiensem ordinauit.

8) Tum vero S. Stephani ecclesiæ ab Othone prædium, quod Balduinus, Traiectensis Episcopus, *in marca Buochinebach*, *in pago Rangouue* habuerat, obtinuit. Tabulas hac fini editas habes in dicto ecclesiæ huius chronico.

9) Quin, paucis diebus post, vt & D. Victoris consuleret Collegiatæ, suis perfecit precibus, vt prædia, quæ Otho in villis *Heiligenmarcha*, *Grabaha*, *Merçhesleba*, *Vrenlebo*, *Cornere*, *Mellere*, *Amberon*, & *Aldengubereno*, *in pago VVestergouve & Vatergouve* habebat, eidem donarentur. Cognosces id ex tabulis XVI Kal. Aug. confectis, quæ in chroniço *D. Victoris* habentur.

D Victoris *Collegiata a Cæsare impetrauit bona.*

XIV Cir-

Henricum II elegit, & vnxit.

XIV Circa Domini annum milleſimum, Imperii Electores primum conſtituti ſunt, Germani Principes ſex vel ſeptem, vt ſupra dictum lib. I & hic explicat vberius MS. minor: addens, anno MIII ſuo iſto iure vſos illos Francofurti, in eligendo *Henrico I*, qui *Claudus & Sanctus* vocatur. Fuerunt autem eccleſiaſtici Electores *Willigiſus* noſter, *Heribertus* Colonienſis, qui electioni tamen præſens non interfuit, vt in eius vita refert Rupertus Tuitienſis; *Erckenboldus Treuirenſis*: ſed, vt cum eodem MS. ait *Sigebertus*, anno MII eſt ille *vnctus a Willigiſo Moguntino* & quidem *Moguntiæ*, teſte *Vincentio* lib. XXVI, & citato antea Wormatienſis Burchardi ſcriptore. Edit. I pag. 721

1) Sine fundamento dici, Electores tum primum inſtitutos, ad lib. I cap. XXVI & XXVII iam dictum; vt non opus ſit, his confutandis hic immorari.

2) Willigiſum ceteroqui vetuſto Henricum ritu, cæremoniaque Moguntiæ inunxiſſe, præter auctores citatos dicunt *Ditmarus* lib. V p. 367, *Marianus Scotus* ad an. MII p. 449, *Tangmarus* in vita Berwardi cap. XXXIV p. 457, *VVolfherus* in vita Godehardi cap. II p. 486, auctor *vitæ Meinvverci* § XI p. 521, *Chronographus Saxo* p. 214, auctor *annal. Hildeshemenſ.* p. 721, aliique plures.

vnxit & Kunigundã.

3) Enimuero non Henricum modo inunxit ille, ſed non longe poſt, die quidem B. Laurentii memoriæ ſacra, Kunigundam quoque Paderbornæ regio diademate cinxit. *Ditmarus* l. d. p. 369, *Tangmarus* l. d. cap. XXXV p. 457, auctor *vitæ Meinvverci* § XII p. 521.

4) Quibus peractis Henricum honoris cauſſa Vltraiectum vſque proſecutus eſt. Ibi vero cum eſſet, ſuis ipſum precibus permouit, vt eccleſiæ Halberſtadenſi deceſſorum ſuorum priuilegia rata haberet, peculiarique diplomate, quod apud *Leuckfeldium* in adiunctis ad antiquitat. Halberſtad. n. XL p. 666 & ſeq. legere eſt, gratioſe confirmaret.

5) Quin, ne quid prætermitteret officiorum, anno ſequenti MIII vna cum eo ad bellum iuit. Edidit autem tum inſigne miſericordiæ erga miſeros exemplum. Cum enim captus eſſet coniuratorum vnus Erneſtus, ac in ſenatum militarem tractus, capitisque damnatus proxime iam abeſſet a ſupplicio, vt delicti conſequeretur veniam, ſupplex interceſſit Willegiſus, mortique illum ſubtraxit. *Ditmarus* lib. V p. 372. *Cæſarem ſecutus eſt ad bellum tem.*

6) Fractis bello, compreſſisque Hezilone atque ſociis, lætus cum Rege reuerſus, eidem an. MIV Dorneburgi ad Albim ſua inſeruiit opera. Et primum quidem ad Giſilerum Magdeburgenſem certis cum mandatis iuit. *Ditmarus* l. d. p. 373. Dein Taginonem, Giſilero defuncto ſucceſſorem datum, Merſeburgi IV Non. Februar. Epiſcopi ritu ſollemniter inunxit. *Idem* l. d. p. 375, *Anonymus* chron. Magdeburg. p. 282, *Chronographus Saxo* ad h. a. p. 217, *Botho* chron. picturat. p. 318; quod *Schlegelius* l. d. p. 22 perperam ad an. DCCCCXCVII refert.

7) Sequenti MV, quod ſupra iam notatum eſt, huc vero referri debet, Godehardum in Hersfeldenſe monaſterium deduxit. *Lambertus Schaſnaburgenſis* ad an. hunc MV.

XV Anno MVI contigit illud *humilitatis* Willegiſi *factum*, de quo ſupra, vt colligitur ex *S. Gothardi* vita c. XIX *.

Iuri omni in Gandersheimenſem parthenonẽ renuntiauit

* 1) Edit. Leibnit. cap. IV p. 490, vbi diſertim; *Vbi* Willegiſus *Archiepiſcopus publico ſermone æſtimationis ſuæ culpam profeſſus, iuri & repetitioni eiusdem loci abrenuntiauit, & in teſtimonium huius abrenuntiationis ferulam Epiſcopalem Domino Bernvvardo, vt poſtea in Francovordienſi concilio claruit, coram clero & populo condonauit.* Conf. *Tangmarus* l. d. cap. XL p. 459, auctor *annal. Hildeshemenſ.* p. 722.

2) Diremta lite, anno MVII ineunte dedicationi eccleſiæ Gandershemenſis interfuit, ac ſolemne Miſſæ peregit officium. *Tangmarus* l. d. auctor *annal. Hildeshemenſ.* p. 722, & e recentioribus *Leuckfeldius* antiquit. Gandershemenſ. cap. VIII § III p. 43, & Halberſtadenſ. p. 333.

Cæſaris conſilium de Epiſcopatu Bambergenſi ratum habuit.

3) Eodem Cæſari in ſynodo Francofurtum indicta reuerenter adſedit, & illius de Epiſcopatu Bambergenſi inſtituendo conſilium voce, manuque ratum habuit. *Ditmarus* lib. VI p. 383. Ceteris in eandem ſententiam concedentibus, Eberhardum ſedi Antiſtitem deſignatum feſto ordinauit ritu. *Idem* l. d. *Hofmannus* annalium Bambergenſium libro I § LXXI p. 47.

Metropolitanam dedicauit.

XVI Anno MIX *eccleſia*, inquit *Lambertus*, *maior Mogontiæ, quam Willegiſus conſtruxerat, incenſa eſt ipſo die conſecrationis ſuæ* *. Sed addit MS. minor, ab eodem Antiſtite *mox reædificatam fuiſſe*, ante ipſius tamen obitum ab eo non perfectam, ſed ab Epiſcopo Bardone, de quo infra. Dictis iam templorum ædificiis & ornamentis addidit alia dona quamplurima, & quammaxima idem Archiepiſcopus. Donauit enim crucem illam pretioſiſſimam, *Bennam* nomine, de qua ſupra †. rurſumque ingentes illos, mortariorumque inſtar, graues calices, de quibus ibidem.

* Conf. *annales Hildesheimenſes* p. 722.

† Lib. I cap. XXXII. Adde *Helvvichium* in notis, tomo II p. 105.

Meinvverco cum initiauit.

Ceterum eodem hoc anno Meinwerco, Epiſcopo Paderbornenſi, Goslariæ mitram pontificalem ſollemni eximiaque ſacrorum ſpecie impoſuit. Auctor *vitæ Meinvverci* § XV p. 522.

XVII An-

Edit. I pag. XVII Anno MXI *cineroſa*, inquit MS. minor, *canitie venerandus, ægritudine letifera decubuit. Qua inualeſcente plenus operibus bonis, vltimum ſpiritum efflauit in profeſto Matthiæ Apoſtoli *, ac in Collegio ſancti Stephani ſepulturæ datur †, cum epitaphio*, quod merito *ruſticum* vocat MS. minor, & quod absque cachinno, vel nauſea legi hodie vix poteſt. Quia tamen geſtarum a Willigiſo rerum in eo ſumma quædam eſt, faciam, quod & in aliis pluribus incultis ac ſilueſtribus adhuc feci. Non enim aut verborum aut verſuum elegantia mihi hic propoſita, ſed hiſtoria, vetuſtatisque cognitio. Et vero ipſemet *Tullius* quoties, & quam aſperos, hiulcos, & rudes ex Ennio, Pacuuio, & aliis verſus affert! *quos olim* nimirum *Fauni, vatesque canebant.* Fuere ſæcula, quibus verſus viſi non inepti, qui ſenis aut quinis quoquomodo pedibus currerent, & certis in ſyllabis ὁμοιοτελευτίαν quandam, a qua & *Leonini* appellantur, haberent, quamuis & ſyllabarum quantitas, & poetica venuſtas abeſſet omnis. Ignoſcendum tempori: & ex inſulſiſſimo etiam inſipidiſſimoque carmine, boni quidquid elici extundique poteſt, id vero nauiter eliciendum ac extundendum. Iſtud autem de Willigiſo, quod ſubiungam, circum S. Stephani turrim, antequam ea deflagraſſet, deſcriptum fuiſſe teſtantur MS. quidam codices, e quibus, varie licet mendoſeque idipſum ii exſcripſerint, exſcribam quam potero fideliſſime.

Meritur. *In Orat.*

722 *Saxoniæ villæ* Stromingen *filius ille,*
Nomine VVilgiſus: Antiſtes tunc bene viſus
Moguntinenſis: & amicus omnipotentis.
Qui rexit plane regnum ſatis imperiale.
De Schönburg*que datus nobis Saxonia natus.*
Strenuus, & largus, humilis, iuſtus fuit Argus.
Stephanicum in monte templum facit hoc bene ſponte.
Thuringis Derlam fecit, Iecheburque, Valernam.
Vrbe Moguntina ſunt æris & oſtia bina,
Ad gradus valuas Matris CHRISTI dedit ambas.
Templum Victoris quod ſtruxit, ſtat tibi foris.
Pontem conſtruxit apud Aſchaffburg, bene duxit
Ac pontem per Nahe: miles tranſit, quoque verna.
Et bene neceſſe prope Bing Mâuſen dedit eſſe.
C nouies pono, tunc Antiſtitem tibi dono:
His ſeptemque dabis, & ſeptuaginta notabis.
Fama datur iuſta, regnauit ſex bene luſtra.
Sex tu coniunge, numerum tu cernis abunde. *al. ſeptem.*
M X I CHRISTE deceſſit Epiſcopus iſte.
Matthiæ feſto tumulatus erat. memor eſto.
Veris conſtanter cum Sanctis viuit ouanter,
Non arroganter, ſed humiliter, indubitanter.
Hic eſt tumbatus penes altare ille beatus.
Stephanico templo requieſcit & ipſe, memento.
Nunc ſunt effoſſa ſua dignanter ſatis oſſa.
Caſula de tumba releuata fuit bene munda.
Presbyter ornatur qua, quando Miſſa paratur.
Diuina laude conſtat flamen ſine fraude.
723 *Nunc benefactoris ſit CHRISTVS in omnibus horis.*
Sic tranſit flamen. Nunc dicat quilibet AMEN.

Quia vero in XIX verſu mendoſe MS. vnus habuit: *mille ſex o CHRISTE*, collegi in verſu XVIII legendum, *ſex tu coniunge*, vt ſint Willigiſi Epiſcopa-

tus anni XXXVI. Aberat tamen idem ille XVIII verſus e MS. aliis. *Caſula* porro, cuius inuentio & exhumatio hic deſcribitur, hodie adhuc ſollennioribus quibuſdam diebus ad ſacroſanctum Miſſæ officium adhibetur, eſtque illa, de qua lib. I dixi c. XXXI. Edit. I pag.

1) * Præter MS. hoc anno mortuum referunt *Hermannus Contractus* p. 319, *Marianus Scotus* p. 449, auctor *chronici VVirzburg.* p. 509, *Stederburgenſis* itidem p. 852, *annal. Hildeshemenſ.* p. 723, *chron. Auguſtenſ.* p. 494. Vt errent tum *Trithemius*, qui chron. Hirſaug. p. 155 anno MXIII demum vita illum deceſſiſſe ſcribit; tum auctor *chron. Auſtralis*, qui rem vno anno præcipit, & MX defunctum narrat p. 437. VII Kal. Mart. vero viuis exceſſiſſe teſtantur præter *Tangmarum* l. d. cap. XLI p. 460, & auctorem *vitæ Meinvverci* § XX p. 524, necrologium *Fuldenſe* p. 766, *Hildeshemenſe* p. 763, *& eccleſ. S. Michaelis Hildeshemenſ.* p. 104.

2) † In æde *D. Stephano* ſacra magnifico funere ſepulturæ traditum *Marianus Scotus* l. d. *Albericus* in chronico p. 40, aliique iam olim memorauere. *ſepelitur in æde D. Stephani.*

3) Poſteris temporibus pio fuit eleuatus ſtudio. vide verſum 25 *Epitaphii*. Vt tamen annus, quo id factum, certo definiri nequeat. Id vero notum, oſſa B. viri hodie aſſeruari in ſacrario.

4) Quod Collegii Canonicorum ad *S. Stephanum* auctor, ad *D. Victorem* vero ſingularis fuerit benefactor ſiue patronus munificus, vtrisque ſollemne fuit, anniuerſario defunctorum officio a. d. XXIII Februarii in æde D. Stephani illius recolere memoriam.

Ortus ſui fuit memor.

XVIII Vnum vero præclarum de ſummo iſto viro refertur in *MS.* omnibus, & *Bruſchiano catalogo*, quod e fortuna, vti ſupra vidimus, tenuiore ad tantum dignitatis culmen a Deo euectus, nulla fuerit ſuperbia, nulloque faſtu elatus, contra illum, neſcio cuius, verſum:

Aſperius nihil eſt humili, cum creſcit in altum.

Sed vt ſeſe intra rectæ rationis, humilitatis ac modeſtiæ gyrum contineret, priſtinam ſuam tenuitatem ſemper ob oculos habuit: & ne memoria vnquam excideret, paſſim in ædificiis & parietibus, ſui parentis, qui carpentarius fuerat, fabrile opus, rotas nimirum, pinxit, ac incidit: in conclaui vero interiori hunc etiam pentametrum verſiculum:

VVilligis recolas, quis es, & vnde venis.

Imitatus videlicet magnum illum Siciliæ Regem Agathoclem, qui vt figuli filium ſe in regia purpura meminiſſe perpetuo poſſet, ſibi ſemper in menſa fictilia quæ-
n. 8 dam vaſa iubebat apponi, de quo *Auſonii* hoc epigramma:

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem
Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vaſis,
Et miſceret opes, pauperiemque ſimul.
Quærenti cauſſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

Et quia ſemper *exaltat DEVS humiles*, factum eſt, vt rotæ iſtæ in ſumma omnium 724
eſſent admiratione, ipſasque ita Moguntina ciuitas adamarit & coluerit, vt pro ſuis eas inſignibus eſſe vellet, eaſdemque retinuerint & celebrarint in hodiernam vſque poſteritatem omnes Moguntini Archiepiſcopi, ad quos triumphali virtutis curru, citiſſimisque modeſtiæ ac demiſſionis rotis a Willigiſo feliciſſime aduecta eſt auguſta in auguſto Romanorum Imperio Electoralis dignitas. Multa de id genus armorum ac inſignium raro quondam, ſed ad Willigiſi Præſulis imitationem crebiore poſtea vſu, inſerit hoc loco *MS. minor* e Conradi cuiuſdam Thuricenſis libro clipeario mihi hactenus non viſo. Sed videri poteſt in Alciati emblemata *Claudius Minos* Diuionenſis.

XIX Monet autem *rota* iſta Moguntinos, *primo* quidem, vt ſingularem Willegiſi Antiſtitis modeſtiam imitentur. Etſi enim generis ſplendore ac nobilitate ipſum ſuperent non pauci, omnium tamen vnus & viliſſimus e luto & puluere ortus eſt: vnus & abiectiſſimus omnium occaſus in putredinem ac vermem.
c. 10, 9. 12. *Quid*, ait Eccleſiaſticus, *ſuperbit terra, & cinis? Rex hodie eſt, & cras morietur.* Inueni de hoc ipſo, & verum, & elegans epigramma iſtiuſmodi:

Quo

Edit. I pag.

Quo virtus animi maior, quo gloria rerum
Se tollit tituli nobiliore nota,
Hoc humilem decet esse magis, memorique repostum
Mente, quod in præceps omnia nostra ruunt.
Hoc rota VVillgisi, cuius sanctissima toto
Virtus Christiadum viuit in orbe, monet.
Est virtus, nos esse homines, cognoscere, vitamque
Esse rotam: virtus hæc facit esse Deos *.

Versus 4 desunt.

* *Chytræus* Onom. Theolog. (S)

Monet *præterea* rota hæc, vt versatilem, lubricam, & inconstantem humanarum rerum conditionem defixam semper animo habeamus. Vere siquidem Poetarum quidam:

725 *Versatur celeri fors leuis orbe rotæ.*

Tibullus l. 1 el. 6.

Qui hodie loco summo est, in imum cras deuoluitur. Qui hodie præpotens, honoratissimus, & saniissimus, idem cras infirmissimus, despicatissimus, ægram ægre vix trahens animam. Imperatoris Mauricii tempore barbarus Auarum Rex Chaianus Romano erat Imperio molestissimus. Ad hunc igitur egregius illius Dux Priscus legatum misit Theodorum quendam, *medicum, sagacitate atque intelligentia*, inquit lib. XVII *Paulus Aquileiensis, perornatum. Iste videns Chaianum magna sapientem, responsioneque iactantius facientem, minas etiam protendentem, cunctarum gentium se esse dominum iactantem, narratione veteri mitigauit barbaricum typhum. Ait enim: „Audi, Chaiane, proficuam narrationem. Sesostris Rex Aegyptiorum, illustris & opido felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentatu, plurimas, & ingentes nationes seruituti subegit. Vnde & in arrogantiam ruens, curru ex adhærente sibi auro & lapidibus pretiosis constructo, sedit super eum, & subiecit iugo de exsuperatis Regibus quatuor trahere currum. Cumque hoc fieret in insigni festiuitate, vnus ex quatuor Regibus frequenter vertebat oculum retrorsum, & contemplabatur, cum volueretur rota. Quem percontatus Sesostris ait: Cur post tergum obfirmas oculos! Hanc, inquit ille, rotam miror instabilem, atque taliter se mouentem: & alias modo excelsa humiliantem, rursumque humiliata exaltantem. At vero Sesostris parabolam intelligenter animaduertens, legem posuit, ne currum Reges vlterius traherent„.* Ecce, quemadmodum rotæ aspectus victum, captiuum, extrema depressum calamitate philosophari Regem fecit: alterum vero victorem, captiuis insultantem, summa elatissimum prosperitate ab insolenti fastu ac superbia reuocauit: ideoque & hisce auditis compressus, atque ad æquitatem ac humanitatem reuocatus nonnihil est arrogans, ferox, & tumidus Chaiani barbari animus.

726 Quanto igitur nos magis eadem cogitatione intra modum, omnique officio contineri decet? Si opum affluentia, famulorum multitudo, multorum & magnorum obsequia, eximii honores, humanæ laudes rotam nostram e Christianarum virtutum cacumine in præcipitium incitent, impellantque vehementius, est illa cum aliis plurimis, tum vero inprimis salutari hoc monitu sufflaminanda: seueram de omnibus a Deo acceptis bonis, ad nouissimum etiam quadrantem vsque, dandam summo iudici rationem. Quomodo iis igitur ad fastum & vanitatem, ad ineptias & pompas abuti liceat? Sin contra, nostrum aliqua currum tempestas, aut irruens alicunde lasciuior bestia euerterit, nos ex altiore honorum sede, rerumque opulentia deiecerit, præsertim si, fidei, iustitiæque Christianæ gratia, id acciderit, iacere nos animo haud oportet, sed huius eiusdem rotæ cogitatu erigi ac excitari. Quod enim nunc in illa imum est, ascendet rursus, ac summum fiet, vel in hac, si expediat, vel certe in futura vita. *Si quis est*, ait Siculus *Michael Glycas, qui ex ingenti gloria, per casum aliquem adlib. 4 Annal. uersum, ad conditionem obscuram, ignominiosamque peruenit, is cum animo suo perpendens, quo pacto rotæ curules sursum deorsumque ferantur, seipsum consoletur. Nam ea volutatio perquam illustri declarat imagine, quam instabilis sit humana felicitas.* Et illustre pergit exemplum adnarrare. *Tali certe*, ait, *superioribus hisce temporibus exemplo barbarus ille Suldanus aliquando vsus est.*

Nam cum a Francorum Principe captiuus detineretur, totumque biennium in vinculis exegisset, nunquam eum ridentem aliquis conspexit. Tandem Francus intellecto, Suldanum risisse, de ipsomet risus illius causſam quærit. Tum ille, se plaustri rotam intuitum respondet, quæ modo sursum, modo deorsum ferretur: ei se casus suos accommodantem, non potuisse non inæquabiles rerum humanarum vices ridere. Quo verbo motus Francus, Suldanum ab eo tempore suam in familiaritatem admisit: hominisque prudentiam admiratus, eum in consiliariorum suorum numerum retulit. Quod fecit Francus, non faciet Deus? Ei, qui propter ipsum, propter sanctissimam ipsius religionem, legem, & ecclesiam contemptis- 727
Luc. 14, 10. simo, infimoque iam loco sedet, non olim dicet, *Amice, ascende superius?* Sed currente rota, mihi ne amphoram instituenti exeat vrceus, ista nunc satis. quæ in eo, qui cum ecclesiastica summa politicam summam sapientissime, grauissimeque primus Moguntiæ gessit dignitatem, non extra chorum. Edit. I pag.

ERCKENBOLDVS.

I

AQuibusdam vocatur *Hermboldus* ac *Herimboldus* ac *Erkenbaudus*, prout notat lib. II *Wion* †. Saxo & Fuldensis Abbas erat, succesſeratque Erboni, vt ait cum Wione *Bruschius*: non Archiepiscopo, vti quidam, quos reprehendit *MS.* minor, errarunt: sed electo tantum & ante Pontificiam confirmationem defuncto, qui, vt est in eodem *Bruschio*, ab aliis omittitur, & quidem a MS. Et sane videtur ne electus quidem vllus Erbo fuisse, sed sequentis Erbonis factam transpositionem MS. recte monuit. Attigit sanguinis propinquitate Berwardum, primo regium Capellanum, deinde Hildesiensem Episcopum, Comitem a Summersenburg *, a quo idem consecratus est Archiepiscopus Moguntiæ, Calendis Aprilibus, teste *S. Gothardi* vita cap. XIX in tomo *Surii* VII.

Varie scribitur. † 1) In *chron. Quedlinburgensi* p. 292 *Arkanbaldus*; in *annal. Hildeshemensibus* p. 740 *Erkembaldus*; ibidem nec non in *vita Meinwerci* p. 550 & *necrologio Fuldensi* p. 767 *Erkanbaldus*; in necrologio *S. Michaelis* Hildeshemensi p. 107, *vita Bernwardi* cap. XLI & XLII p. 460, *chronico VVirzburgensi* ad an. MXI & MXX *Erkenbaldus*; in *chronico Augustensi* p. 494 *Erchipaldus*; in *Hermanno Contracto* p. 135 *Erchanbaldus*; in compendio vitæ *S. Bernwardi* p. 481 *Herbenbaldus*, & in diplomate Henrici II, de quo postea, *Erbenwaldus.*

vtrum Sommerseburgiis ortus fuerit. * 2) Vtrum vero a Sommerseburgiis ortum traxerit, nondum exploratæ veritatis res est. *Forte ex familia Sommerscheburgica*, dubitanter dixit *Fr. Cornelius* in breuiario Fuldensi p. 430. Conf. *Leibnitius* introd. in collect. scriptorum histor. Brunsuicensi inseruientium tomo I n. XXXIII, vbi disquirit, an Berwardus, quem Erckenboldus noster consanguinitate attigit, familiæ Comitum Sommerseburgiorum adscribendus veniat.

Adhuc aliquādiu Fuldense monasterium rexit. 3) Ceterum Præsul factus Moguntinensis, ecclesiam Fuldensem per aliquod adhuc tempus procurauit, vt præter *Brouverum* antiquitat. Fuldensium lib. IV n. XVI p. 286, iam olim *Fr. Cornelius* his notauit verbis: *mansit tamen simul tutor & prouisor ecclesiæ Fuldensis, cui optime præfuit.* Nec dubito, quin idem *chronicon* velit *Quedlinburgense* p. 288; *MXI obiit VVilligisus Archiepiscopus, cuius loco subrogatur* Erkenboldus *Fuldensis Abbas*, »merito gaudens Patris nomine retento», *& pastoralis culminis honore susceptο.*

4) Anno MXIII Francofurti in Comitiis, vna cum Burchardo Wormatiensi, delectus fuit, qui Henricum Wirzburgensem adduceret, vt parochiales Hallstadt, Amlingstadt, & Süsslingen Antistiti Bambergensi Eberhardo dimitteret, earumque loco acciperet Comitatum Bissingensem, qui tum intermortuis clientibus ad Imperatorem, vnde exierat, feudi redierat lege. Vid. *Hofmannus* annal. Bambergens. lib. I § LXXVII p. 49, *Frisius* chron. Wirzburgens. in Henrico I Episcopo c. XXIII p. 456 & seq. *Francofurti in Comitiis partes quasdam obiit.*

5) In diplomate, quod Henricus II Imp. ecclesiæ Romanæ anno MXIV dedisse dicitur, noster subscriptorum primus est. Vid. *Goldastus* constitut. Imperial. tomo I p. 229, & *Tolnerus* cod. Diplomat. n. XXVIII p. 24. Vterque enim id e *Baronii* ad h. a. annalibus affert. At, quum his ipsis tabulis satis tuto stare haud liceat, quod vel ipse *Brouverus* annal. Treuir. lib. X § XCIX p. 502 non diffitetur, affirmare haud ausim, Erckenboldum Henrico, Romæ tum diadema capienti imperatorium, adfuisse. *An cum Henrico fuerit Romæ?*

6) Eidem tamen in Italiam concessuro Gronæ præsto fuisse, scriptor *vitæ Meinwerci* § XXV p. 225 scriptum reliquit.

7) Addit *Ditmarus* lib. VII p. 407, illum eodem hoc anno Witgerum, ecclesiæ Verdensi Episcopum præfectum, ritu Episcopi ex veteri maiorum instituto inauguraſſe. *VVitgerum consecrauit.*

8) Dein, quum singulari erga Imperatorem esset fide iuxta atque obseruantia, anno sequenti MXVI Tremoniam illum honoris ergo prosecutus est. vid. scriptor *vitæ Meinwerci*

§ XXXV